

gie méritam, úberi beneficiórum cópia Dóminus cumulávit. In diutúrnas et frequétes éctases rapta, et coeléstibus illustratió- nibus superúmque appari- tió- nibus et collóquiis dignáta, arcána Dei intel- ligere méruit, et fidei mystéria scriptis præcla- ríssimis confirmáre. Pro- phetia dono cláruit : áb- ditos animórum sensus perspéxit. Pérditi hóminis conversiónem, et tran- quí- lam cónjugis mortem, et ætérnam utriúsque beati- tudínem obsecratió- nibus a Dómino impetrávit. An- no ígitur ætátis suæ tértio et sexagésimo, extrémó morbo opprésam, et Chri- sti confixam cruci, atque ad fontem ætérnæ felici- tátis anhelántem, sacra die Exaltatió- nis sanctæ Crucis, ex vitæ hujus an- góribus Dóminus evocá- vit. Præclára vero fuérunt de Catharina virtútibus Doctórum Sanctórumque præcónia, summórum quoque Pontíficum ora- culis comprobáta. Cultum illius immemorábilem as- séruít Clemens nonus : Clemens undécimus ejus memóriam Missa et Offi- cio celebrándam concés-

sit. Clemens vero duodé- cimus novis fulgéntem miráculis, in sanctárum mulierum número ré- tulit.

℞. Fallax grátia. [169]

In iij. Nocturno, Homilia. Cælórum regnum. de eo- dem Communi. [171]

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ occur- rentis.

AD LAUDES.

Capitulum. Cant. viij.

A Quæ multæ non po- tuérunt exstinguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : si dederit homo omnem substán- tiam domus suæ pro dile- ctióne, quasi nihil despí- ciet eam.

Hymnus.

T Urbam jacéntem páu- perum, Quam dirus angor óppri- mit, Ceu membra Christi lán- guida, Matróna clemens cónfo- vet. Opes opémque cónferens, Vilíque fungens múnere, Perstérnit illis léctulos, Sordésque purgat sédula. Quo quisque plagis fœ- dior, Huic illa servit próm- ptior :

Tabem nec horret úlce- rum :

Horrére nescit caritas.

Deo Patri sit glória, Ejúsque soli Fílio, Cum Spíritu Paráclito, Nunc et per omne sæcu- lum. Amen.

℞. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætér- num.

Ad Bened. Aña. Pone me ut signáculum super cor tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sic- ut inférnus æmulatio. Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Oratio.

D Deus, qui beátam Ca- tharinam, in contem- plánda Fílii tui passióne, divíni amóris igne flagrá- re fecisti : quæsumus; ut, ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem pas- sió- nis partícipes dignán- ter efficias. Per eúmdem Dóminum.

Commem. Feriæ in Qua- dragesima.

Ad Tertiam, Capitulum de Laud. supra.

In ij. Vesp. omnia ut in primis. [455] ℞. Diffúsa. et Commem. Feriæ in Qua- dragesima.

DIE XXVI. MARTII.

S. Boni Latronis

Confessoris. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Aña de Laud. [465] Psalmi ut in j. Vesp. de Communi. Apost. [1] Capitulum. Is. lix.

S Cce non est abbre- viáta manus Dó- mini, ut salváre néqueat : neque aggravá- ta est auris ejus, ut non exáudiat.

Hymnus.

J Esu coróna célsior, Et véritas sublímior, Qui confiténti sérvulo Reddisperénne præmium. Da supplicánti cœtui, Hujus rogátu, nóxii Remissionem criminis, Rumpéndo nexum vín- culi.

Anni réverso témpore, Dies refúlsit lúmine, Quo Sanctus hic de cór- pore Migrávit inter sídera. Proinde te, piússime, Precámur omnes suppli- ces :

Nobis ut hujus grátia Pœnas remittas débitas. Patri perénis glória, Natóque Patris único, Sanctóque sit Paráclito, Per omne semper sæcu- lum. Amen.

✠ Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Aña. Ait latro ad latrónem : Nos quidem digna factis recipimus : hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Oratio ut ad Laud. [466]
Et fit Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Regem crucifixum, qui latróni in cruce paradísium donat, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Jesu coróna. ut supra. [459]

In I. Nocturno.

Aña. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, et exaudítus est de monte sancto ejus.

**Psalmi trium Nocturno-
rum de Communi Conf.
non Pont. [114]**

Aña. Póstula a me, et dabo tibi hereditátem tuam.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

✠ Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. **Cap. lv.**

Mnes sitiéntes veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émitte, et comédite : Veníte, émitte absque argénto, et absque ulla commutatóne vinum, et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclínate aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra, et fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognóverunt, ad te current, propter Dóminum Deum tuum, et sanctum Israël : quia glorificávit te. Quærite Dóminum, dum inveníri potest : invocáte eum, dum prope est.

R. Pósuí adjutórium super poténtem, * Manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum con-

fortábit eum. ✠ Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio ij.

Dereínuat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum : quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatónes meæ, cogitatónes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cœli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatónes meæ, a cogitátionibus vestris. Et quómodo descendit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti : sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo : non revertétur ad me vácuum, sed faciet quæcúmque vólui, et prosperábitur in his, ad quæ misi illud.

R. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília, et exorávit Altíssimum : * Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

✠ Iste invéntus est in número Sanctórum. — Ipse.

Lectio iij. **Cap. lix.**

Ecce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat, neque aggraváta est auris ejus ut non exáudiat : sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos et Deum vestrum, et peccáta vestra abscondérunt faciém ejus a vobis ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, et dígiti vestri iniquitáte : lábia vestra loquúta sunt mendácium, et lingua vestra iniquitátem fatur. Non est qui ínvocet justítiam, neque est qui júdicet vere : sed confidunt in níhilo, et loquúntur vanitátes : concepérunt labórem, et peperérunt iniquitátem.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stulam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ✠ Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. — Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum : Dóminus exaudívit eum, et constituit eum in pace.

Añã. Dómine, inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, et Deus meus.

Añã. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

℟. Induit eum Dóminus lorícã fidei, et ornávit eum. **℞.** Et ad portas paradisi coronávit eum.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia ij. de Cruce et Latrone, tom. 3.

Lectio iv.

Scio et ante me dixisse de latrone, sed habet diversas intelligentias Dei sermo. Iste latro de ligno mercatur salutem; hic latro furatur cœlestè impérium. Vim facit majestati, non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Dómini vox est, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. In cruce duo latrones, imágo Judæorum et Gentilium. Latro quem poenitet, imáginem obtinet pópuli ex Géntibus congregati, qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit. Imáginem vero latro ille obtinet Judæorum, qui usque in finem perseverat latro. Et usque ad tempus quidem

crucis viam malignitatis ierunt: crux autem divisit utrumque.

℞. Velum templi scissum est, * Et omnis terra tremuit: Latro clamabat de cruce, dicens: Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum. **℟.** Petræ scissæ sunt, et monuménta apérta suut, et multa cõrpora Sanctórum, qui dormierant, surrexerunt. — Et omnis.

Lectio v.

Viam namque cæcitatís et perditionis, qui non credidit, ingressus est: viam autem salutis, qui credidit, ingressus est: viam salutis, qui credidit, adeptus est. In cruce didicit latro differentiam viarum, quóniam novit Dóminus viam justórum: via autem impiórum peribit. Et vide Dei justum iudicium, ut dicas et tu cum prophéta: Justus es Dómine, et rectum iudicium tuum. Propter unum peccátum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem latro salvatur. Unum peccátum ejecit illum, et una justitia introduxit istum; et latro habitator factus est paradisi. O admiranda rerum

matéries! Nec Abrahæ data est per vocem repromissionem paradisi. Hereditavit quidem per fidem: repromissionem autem paradisi nemo ante latronem accepit.

℞. Nemo repromissionem paradisi ante latronem accepit, cui Dóminus in cruce dixit: * Hódie mecum eris in paradiso. **℟.** Dómine meménto mei, cum véneris in regnum tuum. — Hódie.

Lectio vj.

Iste ergo vidit Salvatorem non super throno regáli, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per Angelos disponentem, sed in poena sociatum latroni; videt in tormentis, et tamquam in glória adorat; videt in cruce, et rogat quasi in cœlis sedentem; videt condemnatum, et regem invocat, dicens: Dómine meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Crucifixum vides, et regem prædicas? In ligno pendere cernis, et cœlorum regna meditaris? O admiranda latronis conversio! **℞.** O admiranda latronis conversio! * Crucifixum videt, et regem prædi-

cat. **℟.** In ligno pendente cernit, et cœlorum regna meditatur. — Crucifixum. Glória Patri. Crucifixum.

In III. Nocturno.

Añã. Dómine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Añã. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi.

Añã. Hic ascendet in montem Dómini, et stabit in loco ejus.

℟. Hic accipiet benedictionem a Dómino. **℞.** Et misericordiam a Deo salutari suo.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. xxiiij. t

In illo tempore: Unus de his qui pendebant latronibus, blasphemabat Jesum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac te metipsum et nos. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

Serm. xlix. de S. Latrone.

Uóniam hódie Evangelii lectio de latrone fecit mentionem, videamus quis iste latro sit, qui in cruce Dó-

mino constituto non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amoenitate donatur; ut qui propter scelera damnatus fuerat ad poenam, propter fidem transferreretur ad gloriam; fueritque illi crux quam pertulit, non tam supplicii damnatio, quam salutis occasio. In cruce enim positus in Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis utitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim latro, dum supplicium patitur, regnum coeleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut cui damnari illud tempus expetivit. Non enim perveniret ad gloriam, si non contraditus esset ad poenam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore paradisi promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis frequentibusque jejuniis vix delictorum suorum veniam consequantur.

℞. Iste est beatus latro, qui in cruce positus Christum Dominum nostrum credidit crucifixum: * Et

dum supplicium patitur, regnum coeleste consequitur. ℞. Quem Judas Iscariotes in hortulo paradisi distraxerat, iste in patibulo confitetur. — Et.

Lectio viij.

Magna, fratres, et multiplex causa est. Primum, quod iste latro devotione fidei tam repente mutatus est, ut presentem poenam despiceret, ac de futura veniam precaretur; et magis crederet utile sibi esse de aeterno iudicio petere, quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, et poenitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam sentire quod patitur. Potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crederat, de presenti magis supplicio deprecari. ¶ Deinde illud ad gratiam ejus majoris est meriti, quod in Christum in cruce positum credidit, et passio, quae aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem praedicamus Christum

crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem. Dicit enim idem Apostolus: Ipsi autem vocatis Judaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.

℞. Iste est qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem; ideoque paradisum meretur: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℞. Iste est qui honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem. — Ipse. Gloria. Ipse.

Lectio ix. de Homilia Feriae.

**AD LAUDES,
et per Horas, Añae.**

1. Latro Christum * crucifixum videbat, et Regem invocabat, dicens: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.

2. Qui me confessus * fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.

3. Cum conturbata fuerit * anima mea Domine, misericordiae memor eris.

4. Salvum me fecit *

Christus Redemptor, quia dixit: Hodie mecum eris in paradiso.

5. Ille qui talis * ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia.

Capitulum.

Is. lix.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

Hymnus.

Jesu Redemptor omnium,

Corona confitentium,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit,
Hujus celebrat annua
Devota plebs solennia.

Hujus benignus annue
Confessionem nos sequi:
Hujus precatu, servulis
Dimitte noxam criminis.

Proinde te, piissime,
Precamur omnes supplices,

Nobis ut hujus gratia
Poenas remittas debitas.

Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sanctoque sit Paraclito,
Per omne semper saeculum.
Amen.

℞. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine. ℞. Gló-

riam et magnum decorem imposuisti super eum.

Ad Bened. Añã. Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus; hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Oratio.

OMnípotens et misericors Deus, qui iustificas ímpios, te supplices exorámus: ut nos benigno intúitu, quo Unigénitus tuus beátum traxit latronem, ad dignam pœniténtiam próvoces; et illam, quam ei promísit, tribuas nobis glóriam sempitérnam: Qui tecum vivit.

Commem. Feriæ.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laud. [465]

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. **℣.** Stulam glóriæ induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **℟.** Et ad portas paradísi coronávit eum.

AD SEXTAM.

Capitulum. Is. Ivijj.

Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum.

℟. br. Induit eum Dóminus lorícam fidei, * Et ornávit eum. Induit. **℣.** Et ad portas paradísi coronávit eum. Et ornávit. Glória Patri. Induit.

℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino. **℟.** Et misericórdiam a Deo salutári suo.

AD NONAM.

Capitulum. Is. xxxvijj.

TU autem Dómine eruísti ánimam meam, ut non períret: projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

℟. br. Hic accípiet * Benedictiónem a Dómino. Hic. **℣.** Et misericórdiam a Deo salutári suo. Benedictiónem. Glória Patri. Hic.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. **℟.** Glóriam et magnum decorem imposuísti super eum

IN II. VESPERIS.

Añæ ut in Laud. [465]

Psalmi ut in j. Vesp. de Comuni Apost. [1]

Capitul. et Hymnus ut in j. Vesperis. [459]

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **℟.** Stulam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Añã. Impietas ímpii non nocébit ei: in quacúmque die con-

versus fuerit ab impietate sua.

Commem. Feriæ.

DIE V. APRILIS.

B. Julianæ Cornelionensis Virginis.

Duplex.

Omnia de Comuni Virginum [137] præter sequentia.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátam Virgínam Juliánam ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabiliter inflammásti: tribue quæsumus, ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Fit Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lect. De virginibus de Comm. [143] Post Pascha vero de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Ertente anno Christi millésimo centésimo nonagésimo tertio, nata est beata Juliána in Retinna húmili pago Leodiénsi paréntibus religióne conspicuis, quibus orbáta quinquénis

sub disciplína religiósa in Cornélii montis ascetério prope Leódium adolévít. In eo adjuvante Spíritu sancto ita profécit, ut virtútum ómnium culmen attingísse viderétur. Sancti Augustíni régulam, quæ in eódem monastério vigébat, accuráte professa, ac soróribus suis præpósita, ómnium in se óculos ex austéra sanctaque vivendi ratióne convértit. Præclára sunt, quæ prodúntur tum de ipsius in Deum et próximum amore, humilitáte, obediéntia, pietáte et abstinéntia, tum de oratiónis stúdio ac cœlestibus charismátibus.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustítiam: * Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. **℣.** Spécie tua et pulchritúde tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

DUM ad sacram Synaxim accedébat, incredíbili pietátis sensu et grátie donis replebátur. Sponsum suum cœlestem sub eucharisticis speciébus laténtem frequenter invisébat, prona adorábat, et ómnibus adorán-

dum prædicabat : unde factum est, ut Deus, qui infirma mundi éligit, húmitem Vírginem ad promovéndum sanctissimæ Eucharistiæ cultum mirifice inflammárit. Etenim coram augústo Sacraménto provolúta, divinitus intelléxit, instituéndam esse in Ecclésia singulárem Córporis Christi solemnitétem. Quod cum viris piis et doctis declaráset, hi, re diligénte examináta, ipsa adhortánte Juliána, Robértum Leodiénssem Episcopum adduxérunt, ut in sua diocési hoc festum institúeret : quod póstea Urbánus quartus, ántea Leodiénsis Cathedrális Archidiáconus, auctorité apostólica approbávit, et ad univérsam Ecclésiám exténdit.

R. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

Mortuo Leodiénsi Anástite Robérto, in multas et graves tribulatiónes devénit Juliána :

nam impiis factiónibus monastério cum suis soróribus expúlta, in necessitáte extréma aliquámdiu vixit, donec in Salsiniense monastérium excépta, inibi a gravíssimis malis aliquántulum respirávit. Sed turbáta iterum pace ex ingruéntibus bellis et dispérso ipso Salsiniensi monastério in oppidum Fossæ dedúcta, aliquánto post letháli morbo corripitur, quo ingravescénte, sacrosánctum Christi Dómini corpus in oppidi ecclésia collegiáta sumpsit in Viáticum speciáli cordis ardóre. Tum in cellulam redux et sacro óleo inúncta, óculis in sanctissimum Eucharistiæ sacraméntum defíxis, anno ætátis suæ sexagésimo sexto pie obdormivit in Dómino. Juliána corpus in cænóbium Villariense monachórum Cisterciénsium, ut ipsa expetierat, fuit translátum, ubi miraculis cláruit.

R. Afferéntur. [148]

In iij. Nocturno, Homilia.
Sæpe vos. **de Communi**

j. loco. [151]

In Quadrag. Lectio ix.
de Homilia et Commem.
Feriæ in Laudibus.

DIE XVI. APRILIS.

S. Benedicti Josephi Labre Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. [112] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui sanctum Benedictum Joséphum Confessórem tuum humilitátis stúdio, et paupertátis amóre tibi uni adhærere fecísti : da nobis, ejus suffragántibus méritis, terréna cuncta despícere, et cœlestia semper inquirere. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Lect. Justus si morte. de Comm. [115]

In II. Nocturno.

Lectio iii.

N oppido Amettes Boloniénsis diocésis in Gállia ex honestis piissimisque parentibus ortus est Benedictus Joséphus Labre. Divina grátia præventus, gravem et a nugis aliénam índolem a puerili ætate osténdit, et suis frátribus pietáte, obediéntia, solértia in addiscendis christiánæ doctrínæ ac litterárum rudiméntis perfectum

exémplar præfúlsit. Duodénis ad pátruum sacerdotem parœciæ præpósitum missus, eruditíone páriter ac virtúte profecit. Hinc caritáte flagrans in próximos, confluentium egenórum nullum a se discédere sivit inánem, eidémque pátruo sócium indivídium se adjúnxit in ægrórum solátium, dirae per loca grassánte, cujus ille víctima occúbuit. Nulli labóri parcens, nec periculo térritus, villióra quæque obívit officia ad eórum levándam calamitátem, qui morbo corrépti jacébant, pastórum quoque vices explens in pascendis grégibus ab eis relictis, grámine in arvis a se collécto pro pecórum alimónia; ideóque factum est ut sibi ángeli nomen promerúerit. Neque áliter exinde egit apud avúnculum, ubi omnino splendídam caritátis et mansuetúdinis spécimen édídít, mira paciéntia et benignitáte longo témpore perpessus singulárem cujúsdam contubernális morositátem, a quo noctu diúque male habebátur.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit

eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum :
* Et dedit illi claritátem ætérnam, (allelúia.) *✠* Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

AD austeríssimum vitæ genus jándiu se appellátum séntiens, rígido jejúnio, aut duro tantum pane dies transigere assuéverat, brevem fessis membris quiétem dare super nudos ásseres cum cervicáli ex lígneis fragméntis, flagélló se cædere, plúresque horas flexis ante augustíssimum Eucharístiæ sacraméntum géni- bus orándo impèdere. Ratus porro se ad aspérius áliquod cœnobíticum institútum a Deo vocári, ad Trappénses primum se cóntulit, deinde ad Carthusiános, postrémo ad Cisterciénses. Sed ob grácilem córporis hábitum et contráctas ægritúdines a singulis abíre cóactus fuit, ita disponénte Deo, ut beátus júvenis arctióris sequélæ crucis Christi in médio pópuli spectáculum fieret mundo, et Angelis, et homínibus. Nam cum ferventióri prece divínium

lumen implorásset, intérdina claríssima locutióne intelléxit sectánda sibi fore árdua sancti Aléxii vestigia, durissimámque vitam in sacris peregrinátionibus traducéndam. Probánte ígitur consciéntiæ suæ moderatóre, annos natus viginti duos, pia suscepit longíssima itínera; pedes, veste obsoléta, et rudi piléolo tectus, fune præcínctus ac male calceátus, sine pecúnia, rerúmque ómnium inops, obláta tantum stipe víctitans, et saccum déferens onústum saxis, quo peregrinándi labóres sibi gravióres rédderet. Hac ratióne multas Európe régiónes plúries peragrávit, ubique sanctióra loca visitádo, nunquam vestes immútans, æstum, brumam, imbres pérferens, noctu cubans plerúmque sub dio, declinánsque a trita via, et diversóriis, ut vitáret perícúla, et ánimus libérius in Deum inténderet.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stollam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, (allelúia.) *✠* Induit eum Dóminus

lorícam fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

UBicúmque consisteret, mira virtútum relinquébat exémpa cum sanctitátis fama haud raris prodígiis confirmáta. Séptimo ante óbitum anno Romam repétiit, ibique cónstitit, etsi quotánnis Lauretánam beátæ Vírginis ædem, et ália vicinióra sanctuária adire non prætermiserit. Cœlitem pótius quam viatóris vitam in Urbe ágere visus est. Tecto ut plúrimus carens, lácero eódem induménto perpétuo usus, oléribus, herbisque per viam abjéctis, vel oblátis analéctis sive e sterquilinio promptis inédiám relevábat, sitim aut exstinguébat aqua, aut acéto vexábat. Sæpe tota nocte orábat in amphitheatro Flávio, tot Mártyrum ságuine consecráto. Máximam vero diéi partem in templis dúcere consuévit, vel ante Déiparæ imáginem, vel coram sacrosáncta Eucharístia públicæ adoratióni propósita, ibique inmóbilis, ardens, niténti vultu, oculisque in sacram hóstiam defíxis, morabá-

tur in contemplatióne ejus, quem diligébat. In séctis erósus, squalóre óbsitus, quidquid irrisionum aut injuriarum a plebécúla sibi irrogabátur, lætus et constans perferébat. Anno dénique millésimo septingentésimo octogésimo tertio, die decimaséxta Aprílis, cum in templo sanctæ Mariæ ad Montes precatióni plures dedisset horas, corréptus delíquo, traductúsque vicinas in ædes benéfici hóminis sanctíssime ánimam Deo réddidit, trigésimo quinto ætátis anno. Quem virtútibus et miráculis clarum Pius nonus Póntifex máximus Beatórum, novisque fulgéntem signis Leo decimustértius Sanctórum albo ascripsit.

℟. Iste homo. [120]

In *ijj. Nocturno, Homilia.* Quia Dóminus. *de Comm. unius Martyris extra tempus Pasch. ij. loco, [49]* cum *℟℟. de Conf. non Pontif. [123]*

DIE XXIII. APRILIS.

B. Alexandri Sauli

Episc. et Conf. Duplex.
Omnia de Communi Conf. Pontif. [85] præter sequentia.

